

POTENTISSIMO TOTIVS ORBIS MONARCHÆ

LVDOVICO IVSTO,

GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI CHRISTIANISSIMO,

SEMPER AVGVSTO, SVMMO INTER CHRISTIANOS PACIS ET BELLI ARBITRO FOELICITATEM.

NON auderem Majestatem tuam (REX CHRISTIANISSIME) *tot & tantis negotijs occupatissimam intempestiuo adfatu interpellare, nisi graui quadam, &, vt mihi videtur, satis iustâ mouerer causâ, atq; adeò tuâ propemodum authoritate & edictione inuitarer. Nam cùm speciali iussu tuo atque imperio summi momenti quæstio de aquis mineralibus in vsu quotidiano tuorum subditorum, imò tuæ ipsius Majestatis constitutis, in principe Medicorum Scholâ discuti debeat, & Archiatri, quem habes fidissimum, iudicio, tanquam Apollinis Medicinæ Præsidis oraculo definiri, debui, opinor, id totum quicquid est ad tuæ Majestatis pedes, quâ decet obseruantiâ, religione & veneratione deferre, non secus atque rem Majestati tuę propriam, debitamque. Ecce igitur* (REGVM MAXIME) *Medica disputatio aquarum Metallicarum beneficam vim, cuius ipse quoque locupletissimus aut potiùs singularis atque omni exceptione maior testis es, non instrenuis asserens argumentis; cui si vel vnum Augustissimi & Serenissimi tui vultus impertieris adspectum, plus apud omnes commendationis consequentur Aquensis quàm salubritatis & efficaciæ à Sole naturæ rectore fœnerantur. Faxit Deus Opt. Max. vt tua Majestas aquarum vsu meliori valetudini restituta (quod palam & libenter prædicat) diutissimè tali fruatur incolumitate, quod ex animo vouet,*

REGIÆ TVÆ MAIESTATIS.

Humillimus, obsequentissimus & deuotissimus seruus, ac subditus F. LE VIGNON.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXIII. FEBRVARII.

D.M. CAROLO BOVVARD Doctore Medico, Regi ab interioribus consilijs, Comite Archiatrorum & aquis metallicis totius Galliæ præfecto, moderatore.

798

An Calidis naturis quarumcumque Metallicarum aquarum potus insalubris?

FONS erroris omnis τὸ ἀδιόριστον; error in causis, est idem in effectis: si generatio Metallorum non est exusta terra, aquarum metallicarum virtus tota non est exustionis concepta caliditas & siccitas, nec sunt omnes aquæ salsæ, amaræ, acres, vt sint omnes calidæ actu, & potestate. Metalla omnia & fossilia fiunt ex fumida & vaporosa exhalatione terrena & aquea, quam vtramque inanibus conclusam terrarum, lapidúmue spatijs, frigus in vnum comprimit, congelat, & compingit per siccitatem; fumidam quidem in sulphur, bitumen, sandaracam, auripigmentum, & alia; Vaporosam in metallorum naturam diuersam, caloris cœlestis rerum opificis influxu & energia, elementari rerum destructore toto penè resoluto; vt materię suæ, & efficientis proximi ratione & generationis modo, sint frigidissima, nec nisi vehementissimis ignibus soluenda. Calent tamen, frigent, tepent, quotquot sunt fontes metallici, & ijdem calefaciunt, refrigerant, humectant, & siccant vel actu, vel potestate omnes, vel vtroque. Calent, tepent, calefaciunt, siccant, per ignes subterraneos, quos fouet bituminis, pinguium omnium & sulphuris suus fomes, certis, non omnibus (secus enim non passim prodirent aquæ dulces, & tota effeta terra cinis, & calx, iamque ἐκπύρωσις fuisset vniuersi) sparsus fodinis accensos, aut per restinctos; vt pro vicinioribus, aut remotioribus focis, plùs aut minùs caloris decurrẽtes aquę concipiãt, aut prout cinerũ, calcis & calidiorũ fossiliũ Empyreumata solutione, permistione aut confusione, materiæ solidæ, spirituosæ, aut humidæ, eiusq; ex acri expiratu frigore condensatæ velut stillatitiæ ardentis, pleniùs aut parciùs assumpserunt, actu licet erũpant frigidæ, potestate tamen plùs minùs sunt calidæ. Ast actu & potestate frigent, & refrigerant, à frigidis succis, terris, lapidibus, & metallis omnibus, vel per eos quos absorbent eorum spiritus heterogeneos, aut liquores varijs affectos frigiditatis gradibus, vel per eas quas corradunt & abripiunt diuersas eorum essentias, aut quisquilias, vt tales enascantur, quales per se sunt omnes naturâ, aut proprijs insuper qualitatibus augeantur, vel nouis ijsque medicationibus illustrentur: sæpe tamen occursu nouo minuuntur, franguntur, exuuntur optimis, imbuuntur deterioribus & infamantur, ijsque vt leuiùs aut elaboratiùs inficiuntur, sic ęgriùs aut faciliùs eas deponunt.

VT mixtis omnibus, sic fossilibus, terris scilicet, lapidibus & succis, sic metallis ipsis, ferro, auro, sic aquis metallicis sui adnascuntur sapores, odores, colores, primæ, secundæ qualitates, crassitiei, tenuitatis, grauitatis, leuitatis, sua contenta, sua externa; quæ pro substantia, quantitate, qualitate exhalationum, succorum & corporum metallicorum τὸ ἧττον καὶ μᾶλλον recipiunt, & varios temperamentorum gradus constituunt, ex quibus vires, & effectus dignoscuntur innumeri, cuiq; proprij. Sapores internuntij qualitatum & effectuum sunt cæteris fideliores. Aqua simplex ἄποιος, pura, leuis, inodora, limpida, à metallis, à lapidibus, à terris, à succis ita saporatur, vt à sale, à mari, à cineribus salsa, & à nitro, sed amarior; à bitumine pinguis, ingrata; à sulphure, subdulcis, subamara, pura, ore, odore, nidore; ab alumine, austera, acidula; à chalcantho, ære, chalciti, alijsq; subacrior, subacidior; à confuso eorum liquamine, à calce & sandaraca, ab arsenico acerrima, acerbissima, virosa, pestifera; à bolo dulcis; à ferro subacidula, ferruginea, subaustera; à reliquis metallis vt minùs sapor inducitur aquis, sic minùs percipitur. Vix vllus fons vnius est particeps metalli, sed plura sapit, natura & facultate disparia; nullus simplex, omnes compositi, vnius tamen excellentia saporis, vnius est index prædominij metallicæ virtutis; sed licet acida ab acribus prodeant, aquis ex accidenti illis largiter affusis, toto tamen temperamento exurgit ijsdem virtus contraria, ita vt quando acidæ aquæ manant perpetuò claræ, pellucidæ, puræ, leues, gratæ, tandiu quoq; maneant per se frigidæ, cum partiũ quibus cõponuntur tenuitate. At quæ ijs contrariæ, suspectæ. Haud dissimiles sunt naturâ, vinis, lactis sero, chylo cerealibus, pituitosis, & melancholicis humoribus acescentibus, immaturis fructibus, frugibus, limonum, aranciorum, oxalidis, oxytriphylli succis; vt acidate solâ differant à dulcibus. His tamen potentiùs refrigerant, nec imbecilliùs humectant. Si oxycratum ex duodecupla aqua ad acetũ potentissimè refrigeret & humectet, quanto nobiliùs id præstat acidulæ, securiùs, promptiùs, suauiùs, ex millena millesima ad alumẽ aut chalcanthum? Ast viribus longè præstantioribus, & efficacioribus prædicantur ἐγχυποιίας, λεπτομερείας, contemperationis, absterstionis, & roborationis calidioribus naturis, vt etiam non paucis frigidioribus, & humidioribus sint opportunissimæ; ac licet permistæ iudicentur ab omnibus, effectis tamen sint ipsis dulcibus sinceriores, leniores, tenuiores, meabiliores, modis omnibus vtiliores, & admirabiliores misturâ suâ soli Deo & naturæ notissimâ, nec opinione quidem ipsâ in potu medicato matutino, quidni etiam quotidiano? formidandę.

NAM cùm naturis calidis totum corpus æstu tabifico conficiatur & elangueat, viscera nutritia varijs & multiplicibus inquinamentis assiduè circumfluant, meatus omnes aut conniuentes, aut obturati, aditu & exitu intercipiantur, eadem viscera continuo effœta opere, ac lutulento gementia sub pondere resoluantur, & collapsa ruant, quis acidas aquas incidentes, attenuantes, tergentes purgantes, recludentes, ecphracticas, contemperantes, & roborantes, ijs denegabit? quibus putredinis, & morborum & mortis causas omnes arceat? impendentes & præsentes collat? siquidẽ melancholicis, biliosis, naturâ, ætate, casu, æqualiter ac inæqualiter calidis, venosis, decoloribus, carne frigidis, hepaticis, splenicis, hypochondriacis, cœliacis, ictericis, cholericis, colicis, dysentericis, flatulentis, fiticulosis, ἀνορέκτοις, aluo duris, fœtis crassioris sanguinis infartu, aut omnigenæ cacochymiæ colluuie, nephriticis, tabescentibus, infœcundis extremo vtriusque generationis principij dissidio, feruidiori sæpius & humidiori, sterilescenti ęstu suo diuinæ fauissæ, aut proprijs ichoribus aut alienis diffluenti, quibus suos thesauros non expromat: quinetiam arthriticis, rheumaticis, hydropicis, epilepticis, fœdis virginum coloribus, mulieribus præfocatis, quacumque ætate, sexu, tẽpore nullâ parte naturæ maiora sunt miracula quàm ex aquis ipsis, quæ cunctis ex animalibus hominum tantum causâ benignè & passim emicant (inquiebat ille naturæ historiographus). Sacro-sanctę Deorum manus sunt, acutorum omnium & diuturnorum affectuum extrema anchora, calidiorum quidem acidulæ, frigidiorum thermæ αὐλοφυεῖς, calidis omnino per se exitiosæ, attrahendo, liquando, resoluendo, vrendo, erodendo, quæ tamen ex accidenti sunt nonnumquam proficuæ, si damnum emergens non sit grauius præsenti bono. Reliquis post phlebotomiam & catharsim pręsidijs, facilitate, celeritate, securitate, virtute & potentiâ, in præcauendo & curando anteponendæ.

SED neque largiùs vnquam salutares eiusmodi aquæ eruperunt, nec plura auxiliandi genera quàm nunc contulerunt, si nullis relictis diorismis, quibus, quales, quando, quantum, & quomodo bibantur. Vniuersaliter, absolutè, indistinctè, omnes qui pronuntiat, scribit, definit calidas & siccas, Empiricus est. Cæteri suas prædicent, innumeri innumeras, nos de nostris. Familiarissimæ sunt Parisinis, aquæ spadenses ad leodium, Plinio insignes, plurimis stellantes bullis, saporis ferruginei, purgantes corpora, tertianas febres discutientes, & calculorum vitia. Ex quibus (inquit Agricol a) intelligitur esse acidas, cum calorem restinguant, & calculos frangant: tales ergo à ferro, ferrugineus sapor indicat, à chalcanthi spiritibus quòd bullent, quòd euaporent in caput, à nitro pauco vel exiguo sale quòd purgent, ab aluminis modico succo, quòd ad ignes turbentur, & abs tantillo quòd dissolutione superest residuo subsalso & subaustero. Ast aureas easdem laudant posteriores hydrographi, substantiã post horas aliquot, aut superficiariâ membranulâ post paucos dies auri splendore conspicuâ, vt partes frigidæ crassæque naturæ cum calidis & tenuibus in ijs prædominentur, eæque cardiacæ, quibus prægnantes occlusos quosuis ductus recludunt, humores quosuis congestos etiam in tumores fundunt & resoluun, infartus cuiuscunque contumacioris perrumpunt repagula, crassa quæque & lenta incîdunt, attenuant, tergent, diluunt, expurgant, tenues quosuis & efferos morsus bilis retundunt, cursúsque reprimunt & eliminant, recentes illius æstus momento sedant, inueteratos perbreui attemperant, emendant, extinguendis febribus & roborandis visceribus pro quouis alio sunt indigenis tempestiuè sumptæ præsidio, quæ etiam transuectæ fœlicissimè præstant: ac bis mille per annos ad hæc vsque tempora, stupenda & diuina (si quid diuinum in fontibus) edunt miracula. His haud dissimiles Niuernenses causarum & effectuum salubrium notitiâ, licet aciditate & venerandis antiquitatis monumentis sint inferiores, clarioribus tamen emicant nobilitatis insignibus, ex restituta nuper & antea sæpius Reginæ matri suâ incolumitate, cuius diuturnum ex contumaci febre visceribus altiùs inustum ardorem restinxerunt, & abstrusiorem penitùs illum humorum synathroismum, quo fouebatur καῦμα, exemerunt, pręscribente & metallicarum aquarum insignes dotes agnoscente Pietreo seniore.

RELIQVAS (ne tædio sit res lippis & tonsoribus notissima) prætereo, sciens, impari licet gradu, frigidas omnes, Rothomagenses, Pontesianas, Bellesmenses, Castrogonterianas, Simeonenses, Sampardunenses, Meinenses occitanicas percelebres, ad quarum fontes qui è tota Gallia ad oporam æstuantes, quotquot & inflammati, seu imperfectiùs sani, seu debiliùs ægrotantes, seu sponte propriâ inconsultis Medicis, (cùm præsentissimos cuique & locupletissimos suæ salutis thesauros in ijs natura aperiat & profundat, experientiâ potiùs & sensibus quàm intellectu & ratione, Galeno docente, æstimandos) seu etiam iubentibus, quod certius est, agminatim omnes confluunt, seu etiã in lecto longiùs & contumaciùs cœcis ignibus attenuati, seu grauiùs & vrgentiùs recentibus excruciati, aquis istis transuectis ex arte vtuntur, fœliciter liberantur. An cæcutientes mẽte Medici & insipientes omnes præ vno, per eas salutariter auxiliantur? an stupore vel fascino perculsi Galli omnes, Celtæ, Aquitanici, Belgæ, dũ ab ijs aut leuati, prorsùs aut in integrũ restituti recedunt? An dormitant Medici & fallunt in Forgensibus, dum eas observant sapore ferrugineas à ferro, vnde nomẽ forgensium, dum argenteas ab exsplendescentibus arenis quo duplici metallo solũ ditatur Normanicum, dum acidulas à spiritibus chalcanthosis quibus bullant volatilibus, & caput tentant, & citissimè intra triduum, etiam obsignatis lagenis, cum sapore alieno exhalant, fæce post euaporationem, coctionem, destillationem, aut nullâ, aut quæ ex viginti libris resolutis medium auellanæ corticem non impleat? vt nullo ab infartu ramentorum metu moueatur, quem pauidum cœli ruinæ feriunt; dum eas vident communiter claras, perspicuas, tenues, leues, firmas, hyeme tepidiusculas, æstate algidas, celerrimè per vrinas effusas, nulla alui exsiccatione, nullis irritamentis, sed lenissima humiditate & iucundissimo refrigerij solatio, ardentibus partibus amabilissimas? dum eas iudicant cæteris aliis metallicis aciditate quidem inferiores, & defæcatiores acrium metallorum fœturâ, vt cacochymiam tenaciorem imbecilliùs eliquent, & euerrant, ac propterea potentiores, probatiores, commendabiliores in omni calida & sicca intemperie superanda (vt squalloribus, si qui superſint ab aliarum vsu, eluendis, postremæ omnium præscribantur) & tono partibus suo seruando vel redendo, vt sic in omnibus superent dulces, (quòd in aluo morantes bilescant) benignè nec ignobiliter viscera contemperando, mundando, renouando, roborando? An falluntur in earum vsu Parisini omnes, Neustrij, cæteri qui concurrunt? an calefiunt & resiccantur, dùm post largos haustus restingunt sitim in totos dies, & rigent? febres ab Empyreumate relicto, & æstus omnes præcordiorum, quibus elanguent θερμοκοίλιοι, suffocant? dùm stomachium εὐεξίαν & εὐφορίαν, dùm deiectam appetentiam, & actionum omnium εὐτυχίαν redintegrant? dùm sublatis sterilitatis impedimentis, læsam fœcunditatem postliminiò reuocant, vt per nitrum Niliacum Ægyptiæ, ternos, quaternos, quinos, pariant? an deceptus olim Martinus noster, cùm viscera, quæ sexagenariâ ætate conflagrabant & soluebantur, earum vsu sic temperauit, vt saniem quâ diffluebant, per vnum mensem despumauerint? Et vnus pro cunctis REX NOSTER LVDOVICVS, qui fontem sua præsentia nobilitauit, & restaurauit confusum, & medicatas ab euanidis in eo separauit, & inanes per decliuia deriuauit, & salutares murorum munimine & adornauit in memoriam accepti tanti beneficij, sanitatis per eas ad miraculum renouatæ, adauctæ, confirmatæ, an sensus & iudicij sui acumine falsus est? an Curia tota & Gallia vniuersa oculata testis locupletissima hallucinata est?

Non ergo Calidis naturis quarumcumque aquarum Metallicarum potus insalubris.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS LE VIGNON Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Simon le Letier.	M. N. Brayer.	M. Antonius le Rat.
M. Sebast. Rainssant.	M. C. Hubault.	M. Dionysius le Soubs.
M. Petrus Guenault.	M. C.	M. Bartholomæus Baralis Med. Reg.

245.